



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

12. An aliquando ex temporis angustia, si quis non posset elicere actum
contritionis, possit licitè ministrare, & conficere Sacramentum? Et notatur,
an in aliquando casu sumptio Sacramenti ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

tiam nota improbabilitatis inurendam esse; & ideo illam delevit ex operibus Hieronymi Llamas nostrum sacrum Tribunal Inquisitionis Hispaniæ, quæ cum tanta maturitate, & circumspectione procedit in prohibendis libris, & consecrandis opinionibus. Unde Leandrus de Sacrament. tom. 1. tract. 1. disp. 4. quest. 9. postquam multa argumenta adduxisset in favorem probabilitatis dictæ opinionis, tandem sic asserit; His non obstantibus, nunc absolute, certissime, & absque ulla hesitatione respondeo, præfatam sententiam esse omnino improbabilem. Quia, ut talem, (ad minus) delere mandarunt, ex summa Hieronymi Llamas, 1. p. c. 1. §. 5. Censores fidei, per indicem librorum expurgat. editum in Hispania, pro tota illa, anno Domini 1640. Sic etiam antea, dictam sententiam improbabilem dixerunt Petrus de Ledesma dub. 3. citat. & Luyfius Turrianus loco cit. ubi sic ait: Hactenus communis opinio fuit, peccare mortaliter sacerdotem, qui ministrat sacramentum Pœnitentiæ in statu peccati mortalis. Referuntur tamen hoc tempore aliqui recentiores asserentes; non esse peccatum mortale, talem administrationem in peccato mortali. Mihi autem doctrina hæc non solum improbabilis videtur, sed etiam temeraria contra communem sensum Doctorem, sine idoneo fundamento; & multis etiam apparet scandalosa, & quæ parum favet sanctitati Ministrorum. Sic Luyfius, & nunc ego. Hæc argumenta contraria nunc urgent, quia omnia (ferè) autoritate nituntur, quæ post decretam sanctæ Inquisitionis, omnino ruit: Ita Leandrus; & ego. Nota verò hic obiter contra

Cardinalem de Lugo, & alios, esse tamen probabile, neque laicum habentem conscientiam peccati mortalis, peccare mortaliter baptizantem (in casu, quo licet alioquin laico baptizare) nec Sacerdotem in simili casu ministrantem baptismum, sine solemnitate, etiamsi existant in peccato mortali. Et ita, me citato, tenet Dicastillus de Sacrament. tom. 1. tract. 1. disput. 3. dub. 10. num. 220. & me citato Leandrus ubi supra quest. 5. & 6. & alij. Notant

etiam, me citato, Vidal. n. 88. & Dicastillus n. 243. Confessarium audientem Confessionem in peccato mortali, si ante absolutionem conteratur, non peccare mortaliter; quia tunc Sacerdos non ministrat sacramentum, sed quando absoluit. Nam licet tunc apponatur materia, at non apponitur ab illo, sed à pœnitente, & Sacerdos se habet passivè. Ideò obligatio solum est pro puncto, in quo fit Sacramentum; non fit autem, nisi quando datur absolutio; ita putat Dicastillus, pœnitentem non teneri habere dolorem, nisi pro puncto, quo ab- soluitur.

3. Et tandem nota etiam hic obiter, quod licet Sacerdos, dum celebrat, tria præstet; primò quidem consecrat; secundò ministrat sibi ipsi; tertio suscipit Sacramentum, tamen hoc non obstante, non committit nisi unicum peccatum. Ita probabiliter, me citato, tenet Vidal. num. 102. Et, citato, Pater Dicastillus, ut supra n. 235. Ex eo quod illa tria adæquent unum opus, quod est integrum Sacrificium, ad cuius perfectam integritatem omnia illa concurrunt; nempe consecrare, & sumere, ac proinde sibi ipsi conservare consecrata. Quidquid in contrarium asserat Cardinalis Lugo, contra quem etiam puto, contrahentes matrimonium in peccato mortali non peccare mortaliter, quatenus suscipiunt Sacramentum; sed tantum quatenus suscipiunt. Ita, me citato, tenet Leandrus ubi supra quest. 7. & alij.

RESOL. XII.

An aliquando ex temporis angustia, si quis non possit elicere actum contritionis, possit licitè ministrare, & consecrare Sacramentum?

Et notatur an in aliquo casu, sumptio Sacramenti Eucharistia possit esse licita in mortali?

Et quid dicendum erit de aliis Sacramentis. Ex part. 5. tract. 13. & Misc. 1. Refol. 74.

§. 1. **C**uriosus, difficilis, & practicabilis est casus, & negativam sententiam docet Jacobus Marchantius de Sacrament. tract. 1. quest. Pastoral. cap. 4. quest. 2. ubi sic ait. Quid faciendum dum subito Pastor vocatur ad agrum morientem, & pœnitentem confessionem, aut in plateis vulneratum, ad quem festinandum est, ne moriatur sine confessione: Respondetur si Pastor sic subito vocatus extra statum gratiæ sit; ob accelerationem tamen non se reflectat super peccato suo, excusatur à novo peccato, absolvendo talem moribundum sine contritione, quòd si verò meminerit peccati sui, non excusatur ab elicienda contritione ob festinationem & angustiam temporis, quia sufficit brevissimum tempus ad eliciendam contritionem, ideòque tenetur ad eam eliciendam omnem conatum exercere, ita ut sine peccato novo non possit ministrare, nisi se eam bona fide putet habere. Ita Marchantius.

2. Sed in dicto casu Sacerdotem non peccare mortaliter, docent aliqui ex præstantissima Societate Jesu doctissimi Theologi, ut patebit. Et in primis agmen ducit ultimò vilus Joannes de Lugo de Sacram. disp. 8. sect. 9. n. 151. ubi sic ait: Ab hac tamen communi regula excipio illum, qui urgenti necessitate sacramentum confert, nec potest moraliter in eo necessitatis articulo, & brevissima morula disponere se ad justificationem per actum contritionis, ne interim moriatur, v. g. infans qui jam animam agit absque Baptismo; quia cum Sacramenta instituta sint in remedium animarum, non videtur irreverentia, si in extrema illa necessitate, ut subveniatur proximo, ministrantur à peccatore; nam, sicut supra dicebamus, posse in eo casu ministrari cum materia, vel potestate dubia, quia præponderat necessitas præsens præcepto non conficiendi cum dubio; sic dicendum videtur necessitatem illam præponderare præcepto non conficiendi, nisi in statu gratiæ; sic enim videmus multa fieri circa personam Regis, vel Principis in casu necessitatis, quæ si extra illam fierent, gravissimam irreverentiam continerent. Hæc autem ratio non solum probat de Baptismo, sed etiam de absolutione sacramentali, quæ aliquando potest existimari necessaria homini ad salutem, nec potest se Sacerdos in illa temporis angustia preparare per actum contritionis, & frequentius potest casus in absolutione evenire, quam in Baptismo. Ita Lugo, & ante illum Ludovicus Maratius tom. 3. de Sacrament. in gen. disp. 8. sect. 2. n. 5. sic asserens. Cæterum in propositione nostra hanc addimus restrictionem (extra casum necessitatis,) quæ hoc solo sensu intelligenda est, ut si proximo sit ministrandum Sacramentum aliquod ad ejus salutem necessarium, tamque siturgens ejusdem necessitas, ut Ministro in statu peccati mortalis existenti tempus moraliter non suppetat ad eliciendum actum perfectæ contritionis, possit hic licitè illud ministrare, imò debeat. Ratio autem est, quòd cum Sacramenta ad salutem

Sup. hoc laico infra in Ref. 43. & C. Sup. hoc Sacerdote infra in Ref. 42. & in aliis ejus primæ annot.

Sup. hoc Confessario recipienti infra in tract. 5. ex Ref. 15. §. 5. Itaque si in fine & inferiorius in tr. 7. ex Ref. 43. §. 2. à in. 2. vers. Dico igitur, & n. alia Resol. not. pro verb. pœnitentem, contentio in h. penult. hujus §. de ego, infra in tr. 3. Ref. 97. & in aliis ejus annot.

Et pro contentio in hoc §. ult. in tr. 1. Ref. 149.

Sup. hoc in tom. 2. tr. 6. Ref. 113. & lege doctrinam alterius Ref. ejus primæ annot.

Sup. hoc le. & Ref. & §. not. seq.

De Sacram. Baptismi. Resol. XIII. II

salutem hominum instituta sint, ratio postulat, & obligat, ut eorum salutem consulatur potius, quam debitorum Sacramento & ejus auctori reverentia, & quando utrique simul consulti non potest. Quare tunc Sacramento Minister existens in peccato mortali non obligatur conformare se ejus sanctitati, sed succurrere proximi necessitati, nec proinde irreverenter & indignè tunc tractare censendus est. Nec deus actum perfectæ contritionis exerceri posse in instanti, etsi enim absolute posset, non tamen moraliter saltem à plerisque in ratione propria infirmitatis malè peccandi consuetudinibus, vitiosorumque habituum multo indigent tempore, quo se ad tam perfectum actum præparent. Hæc Maratius, cui adde Joannem Præpositum in 3. part. quest. 64. art. 6. dub. 1. num. 34.

3. Non desinat etiam hic adnotare quod Suarez in 3. p. tom. 3. disp. 62. sect. 5. in respons. ad 4. arg. nullum videtur cognoscere casum, in quo sumptio Sacramenti Eucharistia possit esse licita in peccato mortali; tamen contrarium docet Vasq. Hurtad. & Ochag. quos citavi in p. 4. tr. 4. * res. 98. quibus adde Joan. de Lugo de Sacram. disp. 9. sect. 1. n. 8. ubi fatetur aliquando licet ratio, posse ut absque peccato possit aliquis scienter indispositus, & in statu peccati Eucharistiam sumere, ut si quis in Altari recorderetur peccati à se commissi, & ita arctetur angustiis temporis, ut non possit attendere ad habendam contritionem, nisi cessando à sacrificio inchoato cum sui honoris dispendio, tunc enim absque peccato novo posset sacrificium consummare, & Eucharistiam sumere, quia reverentia Sacramenti non obligat cum tanto dispendio proprii honoris. Unde consequenter idem à fortiori dicendum videtur de aliis sacramentis, in quibus propter eadem inconvenientia, licet ratio occurrere posset casus quo propter angustiis temporis esse non possit se ad contritionem præparare, vel excitare, & aliunde non possit absque gravissimo detrimento, vel etiam irreverentia ipsius Sacramenti illud non suscipere. In quibus casibus licet Sacramentum non conferret gratiam propter indispositionem subjecti, non tamen contraheretur novum peccatum, sed esset accessus neuter; hoc est, absque fructu, & absque peccato. Ita Lugo qui disp. 14. de Sacram. Eucharist. sect. 1. n. 3. ex eadem ratione docuit, quod quando in subita hereticorum, vel paganorum irruptione periculum esset gravissimæ irreverentia Eucharistia, inferendæ, & Catholicus in peccato existens non posset pro temporis angustiis disponere se per contritionem, aut occultare Sacramentum, tunc enim propter ejusdem sacramenti reverentiam, sicut posset ex omnium sententia non jejunos, sic etiam videtur quod posset in peccato existens Eucharistiam sumere ad vitandam ejus irreverentiam. Unde ex his licet ego ubi supra contrariam sententiam tenuerim, adhuc tamen existimo supradictorum Doctorum opinionem etiam probabilem esse, & valde olim miratus sum quemdam sacrae Theologiae Professorem, virum doctum, hoc noluisse admittere; sed aliqui ita firmiter adhaerent opinioni, quæ illis placet, ut omnes alias anathematizent, & detestentur, & in eas censurando delirent.

RESOL. XIII.

Quodnam peccatum committat excommunicatus excommunicatione minori, ministrando Sacramenta?
Et an confessus excommunicato minori excommuni-

catone reneatur iterare confessionem? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 45.

§. 1. **D**iligenter hoc dubium discutit Philippus Faber de cens. in 4. sent. disp. 25. q. 1. disp. 4. c. 2. n. 22. ubi sic ait: Quidam dicunt peccare mortaliter, ut Adrianus & Durand. apud Soto in hoc 4. disp. 22. q. 2. art. 3. & alij apud Suarez disp. citat. sect. 2. num. 5. sed hæc opinio rejicitur, quia aperte repugnat textui allegato, siquidem ibi dicitur, quod ligatus minori excommunicatione non videtur removeri à collatione, sed à perceptione sacramentorum. Cum ergo non fit illi prohibitum activè ministrare sacramenta, nulla est ratio quod peccet mortaliter. Alij asserunt sic excommunicatum non peccare, per se loquendo, sed per accidens, ut Suarez ubi supra, qui citat alios, & ejusdem sententia est Navarr. cap. 27. num. 24. Sed hæc sententia quoque est falsa, quia repugnat textui, qui asserit quod talis excommunicatus peccat conferendo sacramenta, licet sacramenta valida sint: ergo per se peccat non per accidens. At respondet illa verba: Peccat tamen conferendo Ecclesiastica sacramenta, esse intelligenda de illa collatione, quæ simul est collatio, & receptio sacramenti, ut est ordinatio; quia Episcopus ordinat Clericos ad sacros Ordines, simul enim confert, & suscipit sacramentum; in his ergo peccat, quatenus sumit, licet non peccet quatenus confert, at quando solum confert, sed non suscipit, ut in conferendo sacramentum Confirmationis, non peccat; verum hæc responsio non satisfacit, quia Pontifex universaliter loquitur, ideo debet intelligi universaliter de collatione sacramentorum quorumcumque, ut de sacramento Penitentia, non autem de iis solum, quæ dum conferuntur etiam suscipiuntur. Verba enim textus sunt hæc: Peccat autem conferendo Ecclesiastica sacramenta, sed ab eo collata virtutis non carent effectu. Vult ergo quod ligatus minori excommunicatione sit remotus à quacumque susceptione sacramentorum, non tamen à collatione illorum; non tamen concedit, quod sine peccato illa conferat, si conferre velit, sed rem in suo statu sinit. Unde cum talis excommunicatio minor aliquam indecentiam secum afferat, dicitur non carere aliqua culpa, & ideo peccare; est ergo valde extorta illa expositio. Ideo mihi placet opinio illorum, qui asserunt, sic excommunicatum conferendo sacramenta Ecclesiastica peccare venialiter, quam sequitur Soto in hoc 4. disp. 22. quest. 2. artic. 3. & indicant Covarr. ubi supra, & nonnulli alij, quæ suadet ultra rationem adductam contra præcedentem opinionem, quia Pontifex in eo Canone, dum dicit, quod si ligatus excommunicatione minori celebret, peccat; apponit illam particulam, graviter, sed dum loquitur de collatione activa sacramentorum, inquit tantum, peccat; non autem apponit illam particulam, graviter: ergo signum est, quod indicat hoc secundum esse minus peccatum, illud autem primum est mortale: ergo hoc secundum erit tantum veniale. Verum Suarez ead. disp. 24. sect. 2. n. 12. adversus hanc sententiam insurgit, dicens, quod ea probabilis esset, si verum esset suppositum, quod facit, scilicet ministrare in excommunicatione minori, esse peccatum veniale: hoc autem, inquit, est falsum, tum quia censura hæc per se non est culpa, sed pœna, tum quia non supponit necessariò culpam mortalem. Quod si interdum illam supponeret, posset per contritionem deleri, & sic vult, quod talis censura per se sola coram Deo non afferat

Sup. hoc in Resol. seq. & in tom. 5. tract. 1. Resol. 182. §. Sed primò.

INTON.
Opera
Tom. 13 II
E III